

omnino eandem formam, & pulchritudinem, quæ est Pater.

SEXTVM testimonij Ioan. 16. *Omnia que Pater habet, mea sunt*, ergo essentiam Patris habet Filius. Ac ne quis dicat hoc intelligi de rebus, quæ sunt extra Dcū, quomodo dicimus, omnia quæ habet vir, sunt vxoris, & tamē s̄p̄e vir habet sapientiam, quam non habet vxori, verba superiora excludunt hunc sensum, præcedit enim: *Hic me clarificabit, quia de me accipiet*. Illud ergo est commune Patri & Filio, quod accipit Spiritus sanctus ab utroque. Quid accepit Spiritus à Filio? scientiam sine dubio, nam dicit: *De me accipiet, & annunciat vobis*. Et suprà: *Non loqueris à se sed quacunque audierit, loquetur*. Scientia ergo eadem est Patris & Filii; sed scientia in Deo, & essentia sunt idem, vt etiam Aristoteles cognovit, ergo una est essentia utriusque. Et sic exponunt omnes Catholicci, Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus, & alii in hunc locum.

SEPTIMVM testimonium est illud Ioan. 20. *Dominus meus, & Deus meus*. Quo testimonio, vt efficacissimo vitur AVGSTINV in epistola 17.4. ad Pascentium. Et quidem certum est, hoc loco Dominum Deum, significare verum Deum Israel, tum quia in Græco habetur articulus, tum etiam quia Thomas homo Israëlitā nō uenerat alium Dominum Deum, quā illū, de quo scriptum erat: *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est*. Addit CHRYSTO STOMUS in homil. de Trin. Tom. 3. Thomam, cūm hæc dixit, impleuisse illud Psalmi 76. *Marus meus Deus qui sis, & non sum deceptus*. Dubium autem esse non potest, quin in eo Psalmo de vero Deo sit sermo.

NESTORIANI (vt cognoscipotest ex V. Synodo, cap. 12.) dicebant illa verba; *Dominus meus, & Deus meus*, referri ad Patrem per exclamacionem Thomæ admirantis Christi resurrectionem. At hæc mera corruptio Scripturæ est, nam in Græco non est, & signum exclamantis, sed articulus, præterea præcedit in Euangelio: *Respondit Thomas, & dixit ei; Dominus meus, & Deus meus, &c.* Quid significat illud, dixit ei? nōne dicit Christo? nam cum Christo loquebatur Thomas, non cum Patre. Ad hæc certum est Thomam illis verbis voluisse confiteri, quod antea non satis crederat; at Patrem esse Deum, semper crederat; de Filii autem diuinitate non nihil dubitauerat. Denique omnes commentarij hæc ad Christi diuinitatem referunt; etiam Erasmus ipsius, quem Transtylviani maximis faciunt.

OCTAVVM testimonium ad Rom. 9. *Ex quibus Christus est secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula*. Hunc locum Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Origenes, Occumenius, & omnes alii sic intelligent, vt Christus dicatur verus Deus, quandoquidem super omnia nihil est, nisi summus Deus.

**A** E R A S M U S tamen conatur in annotationibus in hunc locum argumentum infringere, sed leuisimis coniecturis. PRIMO dicit voculam, *Deus*, forte non esse de textu, quia Cyprianus libro 2. contra Iudæos, cap. 6. & Hilarius in Psal. 122. hunc locum citant sine illa voce, *Deus*. At Cyprianus, Aldi & Morelij, habet vocem, *Deus*, nec potest deesse: nam in eo capite probare vult Christum vocari Deum, & afferit loca Scripturar, vbi vocatur Deus. HILARIUS non citat locum integrum, nam omittit etiam, secundum carmen, qui tamen lib. 4. & 8. de Trin. citat hunc locum cum voce, *Deus*. Denique etiam ablato, *Deus*, adhuc remanet argumentum, quia si Christus est super omnia, certe est Deus.

**B** S E C U N D O dicit Erasmus, posse illud (*qui est super omnia Deus*) referri ad Patrem, si nimirum post voces, (*ex quibus Christus secundum carnem*) ponatur punctum, quomodo dicit se legisse apud Chrysostomum. At in primis, in Chrysostomo Græco, ego non inueni punctum, sed virgulam, qualis est in omnibus codicibus Paulini Græcis & Latinis. Deinde num propter unum punctum in commentario Chrysostomi inuentum, quod potuit relinquere insidente musca, aut irrepare vitio Scriptoris, debet corrigi omnes codices Græci & Latini? Denique, si non obstante illo puncto, Chrysostomus ipse refert hæc verba: *Qui est super omnia Deus, ad Filium, & idem faciunt omnes autores, nullo excepto, quæ temeritas est velle iam nouum sensum inuenire?* Nam nullum omnino pro se Erasmus citauit, & nos præter omnes commentarios, habemus etiam IRENÆVM lib. 3. cap. 18. Tertullianum libro contra Præxeanum, Cyprianum, vbi suprà, Hilarium lib. 4. & 8. Trinit. Ambrosium lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 3. & libro 1. de fide, cap. 5. & Augustinum libro tertio contra Faustum, cap. 3. & 6. & lib. 2. Trinit. cap. 13. Cyrilium lib. thesauri, cap. 5. Gregorium homil. 8. in Ezech. Athanasium oratione secunda contra Arianos. Victorinum lib. 1. contra Arianos. Idacium lib. 1. contra Varimadum. Cassianum lib. 3. de Incarnatione, & alios omnes.

Quod ibidem notat Erasmus, non esse scriptum à Paulo ὁ ἐπί, sed ὁ ἐπί, nimis frigidum est, quis enim ignorat, articulum præposituum sapere non pro postpositu, & adiunctum participio vim relatiui habere? certe Matthæi cap. 6. (ut alia loca præterem) sic legimus: *Pater noster ὁ ἐπί τῶν οὐρανῶν*, nō autem, *οὐ ἐπί τῶν οὐρανῶν*.

NON Verum testimonium habetur in epistola ad Galat. cap. 1. *Nouum vobis facio Evangelium, quod predicatum est a me, quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine acceperim illud, neque didici, sed per revelationem IESV CHRISTI*. Et initio epistole: *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per IESVM CHRISTVM, ac Deum, Patrem, &c.* Vbi B. Paulus opponit Christum hominibus, ac proinde docet, Christum non esse